

Uti possidetis pro rebus immobilibus, & Utrobique pro rebus mobilibus: text. est in l. 1. & per totum ff. Uti possid. text. in leg. Una, Cod. Uti possid. text. in §. Retinendæ, Instit. de interd. cum duabus §§. sequentibus, text. in leg. 1. ff. Utrob. Et in primis adde, quod datur, & competit possessori, modo possideat civiliter & naturaliter, modò civiliter tantum, modò naturaliter tantum: text. est in dict. leg. 1. in princip. textus in §. Interdictum autem, ejusdem l. text. expressior cæteris in leg. fin. eodem tit. ubi fructuario naturaliter tantum possidenti, & proprietario civiliter tantum possidenti datur hoc interdictum: & ibi Glos. ordinaria, Ang. & communiter DD. tenet etiam expressè Bart. in dict. leg. 1. col. 1. in princ. & tenet Azor. in Summa. Cod. Uti possid. 2. col. num. 6. Faber. in §. Retinendæ, Instit. de interd. in princ. & ibi Plat. 2. col. vers. Ad primum. Confirmatur, quia interdictum unde vi, competens pro vi expulsiva, datur possidenti civiliter tantum, vel naturaliter tantum: text. est in leg. 1. §. Dejecitur. ff. de Vi & vi arm. & ibi communis Doctrina DD. Ex quo inferitur, quod si quis tantum habet nudam detentationem rei, & non possessionem, non potest ei competere hoc remedium uti possidetis: & ita tenent & concludunt DD. ubi supra, probat text. formalis in leg. Si duo. §. Creditores eod. tit. & in isto casu, quod remedium competat detentatori, vide omnino & necessariò ea quæ dixi supra, ista leg. in articulo detentationis. (z)

169 Advertendum tamen, quod licet possessori detur hoc interdictum Uti possidetis; tamen debet intelligi, quando non possidet vi, clam, vel precario ab ipso adversario: nam aliàs non possit obtinere in hoc interdicto: text. est in dict. l. 1. ff. Uti possid. in princ. text. in §. Perpetuo ejusdem leg. text. in l. Una C. eod. tit. text. in §. Hodie, Inst. de interd. unde etiam ab alio possideret vi, clam, vel precario, & sic vitiosè vel injustè, non tamen ab ipso adversario, bene posset sibi competere hoc inter-

(z) De hoc interdicto, vide Eguinarium lib. 6. Manualium, titul. 17. Menoch. de Retinend. remed. 3. in princip. interdictum Uti possidetis olim competebat ei, qui tempore redditi interdicti possidebat; interdicto verò Utrobique experiebatur ille, qui majore parte novissimi anni possedisset: Quæ differentia abrogata fuit; nam Ulpian. in leg. 1. Uti possidetis, scribit, in utroque interdicto sufficere possessionem tempore turbationis; Justinianus verò in §. Retinendæ instituit. de interd. scribit sufficere litis contestatæ tempore turbatum possidere, quæ diversæ constitutiones sunt, ut advertit Eguinarius Varo, ubi supra in dict. §. Retinendæ, & patet, quia Ulpian. turbationis tempus, Justinianus tempus contestationis attendit; quamvis unam esse constitutionem & exæquationem, quam pro more suo sibi vindicat Justinianus, contendat Menoch. de Retinenda remed. 2. n. 4. & sequentibus. Retinendæ autem possessionis causa comparata sunt interdicta ne vis fiat ei de superficiebus, & retinere actuque privato, de aqua quotidiana & æstiva, de rivis, de fonte, ut constat ex illis titulis, & prosequitur Menoch. de Retinenda remed. 1. cum sequentibus.

in cap. Veniens, 2. column. de Præscript. & ibi Joan. Anton. 2. column. Abb. penultim. column. Cardin. 2. column. Et in tantum hoc est verum, ut procedat etiamsi ego reus talem exceptionem opponam post litem contestatam in qualibet parte litis; quia debet admitti tamquam exceptio peremptoria: ita Bartol. singulariter in dict. §. fin. 1. column. num. 4. nam jura prædicta aperte probant, quod talis exceptio opponitur ad victoriam; & justitiam causæ, non autem ad processum; & referunt verba sua ad tempus definitivæ sententiæ, non verò ad tempus litis contestatæ: tenet etiam Cardin. in dict. cap. Veniens, de Præscript. 2. column. & ibi Abb. antepenult. column. versicul. Secundum remedium est. Imol. penult. column. num. 11. Anton. 3. column. in medio, licet contrarium teneat Innocentius in dict. cap. Veniens, 2. column. ubi expressè dicit, quod talis exceptio debet opponi ante litem contestatam, argumento text. in cap. fin. de Ordin. cogni. sed communiter reprobat à Doctoribus. Ex qua conclusione sic declarata nota, quod licet ego spoliatus mea possessione non possim propria autoritate expellere violentum possessorem ex intervallo, sed incontinenti, ut in leg. 3. §. Cum igitur. ff. de Vi & vi armata, tamen bene possum eam semper & perpetuò inquietare, nec teneo interdicto uti possidetis: ita tenet Glos. ordinaria in dict. §. fin. in glos. penult. & ibi Bart. 1. column. numer. 3. & communiter alii DD. & illam Glos. reputat ibi singularem Alexand. in Addition. ad Bartol. similis tamen Glos. est in leg. unic. Cod. Uti possid. in verb. Nec precario, & ibi communiter DD. & istam sententiam, & conclusionem reputat singularem Abb. in dict. cap. Veniens, de Præscript. antepenult. column. ibi Imol. penult. column. & Anchar. fin. column. & reputat mirabilem Salyc. in dict. leg. unic. Cod. Uti possid. 6. column. num. 26. notat etiam & commendat Angel. de Aretin. in §. Retinendæ, Institut. de Interdictis, final. column. Unum tamen est, quod si ego turbator opponam prædictam exceptionem, & insuper petam restitutionem rei, & possessionis mihi fieri, deducendo remedium unde vi, vel aliud competens remedium per viam exceptionis, & reconventionis, obtinebo, & fiet mihi restitutio, non ex natura interdicti Uti possidetis, cum non possideam, sed ex natura interdicti unde vi, vel alterius remedii propositi per viam exceptionis seu reconventionis: argumento text. in leg. Papinianus. §. Si filius. ff. de Inoffic. testam. text. in l. Si præteritus. ff. de Contrah. tabul. & ita in specie ita tenet & declarat Alberic. in dict. leg. 1. §. final. ff. Uti possid. final. quest. post Din. & Antiquos; tenet etiam Abb. in dict. cap. Veniens, de Præscript. antepenult. column. Anton. Gom. ad Leg. Tauri.

lumn. versic. Tertium remedium, & ibi Cardin. 2. column. Anchar. 2. column. Attende tamen, quod superior conclusio debet intelligi quando actor possideret vi, clam, vel precario, & sic injustè & vitiosè à me adversario convento interdicto uti possid. secus tamen est, si possideret clam, vi, vel precario, & sic injustè & vitiosè ab aliquo tertio; quia tunc bene posset agere contra me vel alium inquietantem, & obtinebit, nec ego possem opponere de jure tertii text. est in dict. leg. 1. §. fin. ff. Uti possid. & rutio duplex statim ponitur in leg. 2. Prima, quia non refert an justa vel injusta sit possessio quoad alios: Secunda, quia possessor, modò possideat justè, modò injustè, plus juris habet quam ille qui nullo modo possidet: Facit etiam text. in leg. 3. §. Ex contrario. ff. de Acquirend. possess. text. in leg. Duo in solidum. ff. de Precario. Ex quibus infert Angelus de Perus. in dict. l. 1. §. fin. ff. Uti possid. pulchram & singularem regulam: Quod in omni materia possessor justus vel injustus semper plus juris habet, quam ille qui nullo modo possidet.

170 Pro perfecta tamen intelligentia oportet videre contra quem detur, & competat hoc interdictum uti possidetis? Et resolutivè respondeo, quod competit: Primò contra illum qui se possidere contendit, ut sic ille qui melius probet defendatur in possessione, & habeat commodum possessionis: text. est in leg. 1. §. Sed si inter ipsos. ff. Uti possidetis, cujus verba sunt, sed si inter ipsos contendatur uter possideat, quia alteruter se magis possidere affirmat, tunc si res soli sit in cujus possessione contenditur, ad hoc interdictum remittetur, & ibi Glos. ordinaria, in verb. Affirmat. Bartol. & communiter DD. textus in §. Retinendæ ejusdem leg. text. in leg. Exitus. ff. de Acquirend. possession. text. in leg. Incerti juris, Cod. de Interdictis: text. in leg. Ordinarii, Cod. de rei vend. text. in §. Retinendæ, in princip. Instit. de Interdict. text. in cap. Licet causam, de probat.

Secundò datur & competit civiliter possidenti contra possidentem tantum naturaliter, vel civiliter: & naturaliter possidenti contra detentatorem tantum, ut desinat à molestia, & in consequentiam restituat possessionem naturalem vel detentationem ipsi auctori possidenti: ut infra latius dicam. Tertio datur & competit contra quemlibet inquietantem, vel molestantem; licet non asserat nec contendat se possidere; quia non sinit possidentem liberè uti sua possessione, arando, seminando, ædificando, fructus colligendo, vel alio quovis facto vel modo: text. est notabilis & capitalis in materia in leg. Vim facit. ff. de Vi & vi arm. cujus verba sunt: Vim facit, qui

non sinit possidentem eo quod possidebat uti arbitrio suo sive in serendo, sive in colligendo, sive in arando, aut quid edificando, sive quid omnino faciendo per quod liberam possessionem adversarii non relinquit, & ibi notant Bartol. Alberic. & Angel. text. in leg. Si duo. §. Si vicinus. ff. Uti possid. text. in leg. Permisceri, versic. 1. ff. de Acquirend. possess. text. in cap. Audita de Restitut. spol. in princip. & ibi Glos. 2. & ibi notat Ant. 1. not. Abb. 1. column. Anchar. 2. column. 1. oppos. tenet etiam Innocent. in cap. Licet de Probat. 3. column. in fin. Hostiens. 6. column. in fin. tenet etiam Glos. ordinaria in leg. 1. §. Sed si inter ipsos, in verb. Affirmat. ff. Uti possid. Glos. in versic. Retinenda, in verb. Multis causis, eod. titul. Gloss. in leg. Si duo in princip. in gloss. 1. eod. titul. Glos. in leg. 1. §. Interdictum hoc in verb. Possidere in fin. ff. de Vi & vi armat. Gloss. in leg. unic. Cod. Uti possid. in verb. Nec vi. Gloss. in §. Hodie, Institut. de interdictis, in verb. Nec clam in princip. tenet Bart. in leg. 1. §. Hujus autem interdicti. 1. column. in princip. ff. Uti possid. idem Bart. in §. Restituenda, ejusdem leg. Specul. in tit. de Caus. posses. & prop. §. 1. versic. Et scias, 2. column. num. 7. Faber. in §. Retinenda, Instit. de interdicti. 4. column. in princip. Quarto datur, & competit interdictum uti possid. contra perturbantem, vel molestantem solo verbo; puta contra eum qui dicit possessionem talis rei possessori non pertinere, vel esse malæ fidei possessorem, vel non habere jurisdictionem in aliquo territorio. Quod tamen notabiliter intellige illo modo: nam si ille qui inquietat, perturbat, vel diffamat possessorem solo verbo, non impedit per hoc suam possessionem, vel quasi, nec fructus ejus; tunc possessori non competit illud interdictum contra illum, quia per hoc non dicitur possessor turbari, & sic non est extremum habile ex parte conventi; sed competit remedium leg. Diffamari, Cod. de Ingen. & manum. ita singulariter Innocent. qui sic debet intelligi in cap. 2. de Restitut. in integrum, 2. column. post medium, & Joan. Andr. ibi, 2. column. post princ. Cardin. 5. column. 7. quest. in fin. Anton. antepenult. column. in fin. Si verò per inquietationem, vel diffamationem, quam ille reus facit solo verbo, possessio actoris impeditur, quia propter verba ejus possessor non invenit colonos, inquilinos, vel laboratores; vel aliàs impeditur commodum possessionis, vel jurisdictionis, quia fortè est potens, vel nobilis; tunc benè tenetur interdicto Uti possid. quia satis per hoc videtur possessorem turbare in re: ita probat text. bene ponderatus in dict. leg. Uti facit. ff. de Vi & vi armat. ibi: Sive quid omnino faciendo per quod liberam possessionem adversarii non relinquit, nam aperte vult

text. comprehendere quodlibet genus turbationis, per quod impediatur possessio & effectus ejus: & per illum textum ita determinat Bartol. in leg. 1. §. Hujus autem interdicti. ff. Uti possid. 1. column. num. 2. Angel. de Perus. ibi in fin. istam etiam conclusionem & declarationem Bartol. tenet Imol. in cap. 2. de Restit. in integrum, penult. column. in princ. Anchar. ibi 3. column. in 1. notabil. Faber. in §. Retinend. restitut. de interdict. 5. column. num. 17. & ibi Ang. 2. column. in fin. num. 3. & ita Plat. 3. column. in princip. versic. Ad tertium.

171 Ex quibus subtiliter potest dubitari. Si forte reus conventus illo interdicto uti possidetis, numquam inquietavit, nec molestavit actorem facto, nec verbo; sed tantum tempore quo movetur lis, & offertur libellus, reus negat intentionem actoris, & per consequens negat actorem possidere; an competat actori istud interdictum, & procedat iudicium, ut probata possessione actoris reus condemnatur, dato quod ex tali negatione vel contradictione verbali non turbetur possessio actoris, nec usus, & effectus ejus? Et dicendum est quod sic: ita singulariter determinat Specul. in titul. de Action. seu petitioni. §. Super petitionibus, 3. column. versic. Sed numquid, argumento text. in leg. Is qui se obtulit. ff. de Rei vindic. & in leg. fin. ff. Si usufruct. petat. cum similib. licet certè illa iuraparum probent: tenet etiam Compostellan. in cap. Mandatum, de Rescript. 13. column. versic. Sed numquid, ubi dicit, sic de facto obtinuisse, Joan. Andr. ibi, antepenult. column. in fin. Cardin. antepenult. column. 35. quest. in leg. fin. column. 7. quest. Sed attende, quod prædicti DD. non videntur probare nostram conclusionem, nec loqui in nostro casu; sed intentio eorum tantum est dicere, quod si actor agit hoc interdicto uti possidetis contra aliquem, ratione alicujus molestiæ vel inquietationis præteritæ extrajudicialis, & reus contestatus fuerit litem, obtinebit actor, licet aliter non probet molestiam, vel inquietationem; quia reus, offerendo se liti & contestando, videtur confiteri; sicut in simili dicimus, quod si reus qui non possidet suscipit iudicium rei vindicationis, videtur se offerre liti, & condemnatur ac si possideret, ut in leg. Is qui se obtulit. ff. de Rei vindicatione, & in leg. Qui se liti obtulit. ff. de Petitioni. hered. & in leg. fin. ff. Si usufruct. petat. In nostro verò casu actor proposuit interdictum uti possidetis, & reus conventus non confitetur expressè nec tacitè aliquam molestiam vel inquietationem præteritam extrajudicialem, sed tantum negat actorem possidere: unde illa videtur molestia vel inquietatio tantum verbalis, & nuda, & non facti, & per eam non censetur turbata possessio:

sio: ergo non potest competere interdictum uti possidetis pro tali negatione, & contradictione judiciali, sed tantum negat, cum sit inquietatio nuda verbalis, ut patet ex doctrina quam supra proxime posui: & istam conclusionem tenet expressè Abb. Panormit. in dict. cap. Audita, de Restitutione spoliatorum, 2. column. in medio, & ibi Imol. in fin. & apertius Imol. in leg. Si prius, penult. column. in princ. ff. de Operis novi nunciat, & dicit quod sic obtinuit de facto, & ibi Alexand. 4. column. num. 18. quem vide: Jas. 6. column. num. 21. ita etiam tenet Balduin. in leg. Ordinarii, Cod. de Rei vindicatione, penult. column. num. 12. ubi dicit, quod sola contradictio vel negatio facta in iudicio non sufficit, nisi reus asserat & contendat se possidere vel aliàs turbet actoris possessionem.

Sed ego teneo primam opinionem, imò quod pro tali negatione & contradictione judiciali competit hoc interdictum uti possidetis, quia major & fortior censetur contradictio & negatio judicialis, quam extrajudicialis, & hoc est quod volunt prædicti DD. supra citati, & in isto casu videntur loqui, & non in alio: Nec potest sustineri responsio & evasio superior, quam posuit Abb. & alii DD. ubi supra: Quia si reus in responsione sua & litis contestatione confitetur molestiam, & inquietationem contentam in libello actoris, res est clara, quia condemnabitur: si verò negat molestiam, & inquietationem, nullo modo debet reus condemnari, nisi actor probet illud extremum ex parte rei, & similiter in casu isto res est clara: si verò reus in responsione sua & processu negavit actorem possidere, isto casu videntur loqui prædicti DD. nam volunt, quod tunc cum reus offerat se liti, & contestando videatur confiteri ipsam molestiam, licet tantum simpliciter, negavit possessionem actoris: & necessariò ista est intentio prædictorum Doctorum ubi supra. Sed iudicio meo credo, quod illa non fuit intentio eorum; quia ex simplici negatione possessionis non debet sequi affirmatio inquietationis præteritæ, cum benè possit esse unum sine alio: Unde credo quod mens eorum sit, quod sola illa negatio & contradictio judicialis sit sufficiens inquietatio & molestia possessionis, ad hoc ut contra eum procedat hoc iudicium, uti possidetis, & in eo condemnatur, sine eo quod inducatur confessio alterius molestiæ vel inquietationis præteritæ: & sic, probata possessione per actorem, reus possit & debeat condemnari: & ita procedat nostra conclusio optimè declarata: & in expresso, dato quod DD. supra allegati eam non ponerent, expressè reperio quod tenet Lupus in allegationibus suis, allegatione 67. tenet etiam Anton. de Butr. in dict. cap. Audita, in 2. & 3. notab. Confirma-

tur ista conclusio; quia confessoria actione, in qua requiritur inquietatio vel perturbatio servitutis ex parte rei conventi, sufficit negatio vel contradictio extrajudicialis: ita Bart. notabiliter in leg. Si prius. ff. de Oper. nov. nunt. 3. column. 5. oppos. cum quo se habet communis opinio. Nec obstat huic meæ opinioni si subtiliter dicatur, quod illa turbatio verbalis, quæ supervenit pendente lite, non debet sufficere; cum actor non fundavit intentionem suam in ea, sed in turbatione de præterito ante litem motam: ergo nullo modo debet reus condemnari; quia jus superveniens actori pendente iudicio, non prodest sibi, ut in leg. Non potest videri. ff. de Re judicat. cum materia. Quia respondeo, quod illud est verum quando jus supervenit ipsi actori: secus verò si jus vel extremum requisitum in actione vel iudicio reali ex parte rei superveniat ipsi reo; quia benè prodest ad confirmationem iudicii: text. est notabilis & ibi communis opinio in leg. Sin autem, §. 1. ff. de Rei vind. Et ex his videtur reprobanda sententia illa notabilis Bartol. in leg. Uti frui. §. Utrum. ff. Si usufruct. petat. quam latè examinavi suo loco, super illo articulo Gloss. singularis, in leg. Si à te, §. 1. de Exception. rei judic.

Et quia supra visum est de duobus: Primum est, quibus competat hoc interdictum: Secundum, contra quos detur & competat? Resat videre de tertio, scilicet, pro quibus rebus competat? Et expeditum est, quod competat hoc interdictum uti possidetis, pro re immobili: utrobique verò pro re mobili, ut supra in principio dixi: & illa quæ disposita sunt in uno habent locum in alio. Sed dubium subtile & quotidianum est, an competat pro servitutibus & iuribus incorporalibus? De quo articulo suo proprio loco dixi.

172 Similiter etiam dubitatur, an competat pro quasi possessione annuæ præstationis? ut puta, si quis solvit mihi per aliquos annos certam pensionem, vel quid aliud, & postea negat & recusat mihiolvere, an possim contra eum intentare istud remedium possessorium uti possidetis, & dicere, quod eram in possessione vel quasi percipiendi ab eo quolibet anno talem pensionem, vel rem quam mihi præstitit per plures annos, & modò negat & recusatolvere, quare peto ut iudex defendat me in prædicta possessione, & reum condemnet ut deinceps eam mihi solvat quolibet anno, & me non molestat nec inquietet cessando à solutione: vel si me spoliavit dicta possessione, petere quod restituat ad eam: vel si forte defunctus, cui ego successi, erat in prædicta possessione, an possim intentare remedium possessorium adipiscendæ quorum bonorum, ut mittat in possessionem vel quasi illius

illius juris? In qua subtili quæstione & articulo dico resolutivè, quòd si illa solutio & præstatio quæ mihi fiebat, erat mihi personalis, non competit, nec potest competere mihi aliquid ex prædictis remediis possessorii; quia in obligationibus merè personalibus non datur à jure aliquod remedium possessorium: ita probat textus valdè notabilis in *leg. fin. ff. Quorum bonorum*, cujus verba sunt, *interdicto quorum bonorum debitorum hereditarii non tenentur, sed tantum corporum possessores*, & ibi notant Bart. Angel. & communiter DD. (A) Confirmatur ratione: quia illud tantum possidetur, quòd ipsa apprehensione vel possessione non extinguitur, sed remanet in esse & natura; sed actiones vel obligationes merè personales per solutionem debiti extinguuntur: unde actus qui debet inducere possessionem, producit oppositum, & eam extinguit: ita subtiliter Bald. in *cap. Querelam*, 4. column. num. 15. extra, de *election.* & istam rationem ante eum posuit Rofred. in *Rubr. de interdicto, unde vi*, 10. column. versic. *Item dicunt*. Confirmatur, quia licet aliqua possessio possit considerari in juribus & actionibus personalibus, illa est impropriissima, quæ non causat aliquod remedium possessorium: Ita Gloss. singularis ordinaria in *leg. Regulariter. ff. de Petit. her.* Si verò illa solutio vel præstatio continet etiam jus reale, ut solutio alicujus census vel pensionis pro aliqua re, in signum subjectionis vel census impositi super aliqua re; tunc benè competunt prædicta remedia possessoria *retinendæ, recuperandæ, & adipiscendæ* in suis casibus: textus est notabilis qui sic debet intelligi in *cap. Querelam*, versic. *final. extra, de election.* per quem istam theoreticam & doctrinam ponit Cin. in *leg. Si certis annis, Cod. de Pactis, fin. quæst.* Alberic. *ibi*, 2. column. in *fin.* Bald. *penult. column. num. 19.* & ante eos Jacob. de Ravenn. *ibi*, eam etiam ponit Bartol. & ista est intentio ejus in *leg. fin. ff. Quorum bonorum*, & ibi Angel. de Perus. idem Angel. reputans esse subtile & menti tenendum in *leg. Regulariter. ff. de Petit. her.* & ibi Bald. 1. *left.* istam etiam conclusionem & doctrinam ponit Bald. in *leg. 1. Cod. de Fideicommissis*, 2. col. in *princip.* idem etiam tenet notabiliter Joan. Andr.

(A) Valde autem controversa est ista quæstio inter Canonistas, & Legistas; præsertim cum annua quæstio est mere personalis; ut constat ex his quæ latè scripsit Menoch. de *Recuperand. remed.* 1. num. 87. & *retinend.* 3. num. 139. Corral. in §. *Nibil commune in præludiis*, num. 22. & *sequentibus*. Tiraquell. *lib. 1. de Retract.* §. 32. glossa 1. num. 76. §. 1. gloss. 6. num. 32. in qua quæstione verior est opinio negativa Legistarum, quamvis sententia canonistarum æquior videatur, ob idque in omnibus curiis, tam Ecclesiasticis, quam Secularibus, communi usu servetur teste Fabro in §. 1. in *fin. Institut. de her. quem usum pluribus rationibus defendunt Aretin. ibi*, Angel. in *leg. Si certis annis*, column. *penult. Cod. de Pact.*

in *cap. Pervenit. extra, de censibus*, 2. column. in *fin.* & ibi Card. *fin. column. 8. quæst.* Anchar. *fin. column. & quæst.* Abb. Panorm. 2. column. num. 3. & istam etiam conclusionem & doctrinam tenet Joan. Andr. in *dist. cap. Querelam, penult. column. in princip.* & Cardin. *ibi*, 2. col. 4. *oppos.* & istam conclusionem & doctrinam ego teneo pro vera, & eam in contingentia facti practicavi. Licet Angel. latè in *dist. leg. Si certis annis*, *penult. & fin. column.* teneat contrarium, imò quòd indistinctè pro qualibet præstatione vel annua solutione competant prædicta remedia possessoria; & idem tenent etiam Angel. de Aret. in *princ. Inst. de interdictis*. Ant. Butr. in *dist. cap. Querelam*, 2. column. n. 27. Imol. *ibi*, 3. column. in *princip.* num. 10. Balduin. *ibi*, 4. column. num. 15. Abb. *ibi* sibi contrarius *penult. column. in princip.* num. 12. ubi dicit, quòd dispositio illius textus habet etiam locum in obligatione personali, vel quando non apparet de qualitate obligationis; quia licet non sit dare possessionem vel quasi in annua præstatione, tamen creditor potest petere ut restituatur in illo statu, in quo erat tempore præstationis: Rofred. in *titul. de Interdictis unde vi*, 9. column. n. 23. ubi latè & notabiliter loquitur, in quantum simpliciter & indistinctè loquitur. Tenendo tamen primam veram & magis communem opinionem, quam tenui, illam extende, ut sufficiat una tantum solutio & præstatio pensionis: ita notabiliter Angel. in *dist. leg. Si certis annis*. item tenet Imol. in *dist. cap. Querelam*, 3. column. *num. 10.* Ex qua superiori doctrina & resolutione infero notabiliter, quòd si defunctus non erat in possessione vel quasi-annua præstationis, potest hæres institutus in testamento petere se mitti in possessionem ejusdem annuæ præstationis, beneficio text. in *l. fin. Cod. de Edict. divi Adrian.* toll. & in specie reperio quòd ita tenet solus Angel. in *dist. leg. Si certis annis, fin. column. in fin. Cod. de Pactis*. tenet etiam, & reputat singulare Angel. de Aretin. in §. 1. *Instit. de interdictis*. Quod tamen intellige secundum superiorem distinctionem.

Præterea etiam noviter & subtiliter quæro, an in dominio, quòd quis habet in re sua mobili vel immobili, detur possessio, ut si turbetur in eo

competat sibi remedium *retinendæ*; vel aliud remedium possessorium, sicut datur & competit pro servitutibus, & personalibus præstationibus, & aliis juribus incorporalibus? Et breviter dico quòd non: unde, vel debet agere judicio reali proprietatis, vel remedio *leg. Diffamari* & in expresso ita tenet Bald. in *leg. pen. Cod. Si à non compet. judic. penult. col. n. 12.* & ante ipsum Bart. in *leg. Ait prætor*, §. 1. *ff. Ex quibus causis majores*, idem Bart. in *leg. Naturaliter. ff. de Acquirend. posses.* & ibi Cuman. Alex. & Jas. idem Bart. in *leg. 1. ff. Uti possidetis*, 2. col. num. 3. cujus ratio est, quia dominium, & effectus ejus non consistit, nec augetur à facto adversarii; possessio verò in juribus incorporalibus sic, imò ab ejus facto & patientia producitur. Vel aliter ultra eos dico, quòd secunda ratio potest esse: quia si dominus intenteret remedium possessorium pro ipso dominio possessio, oporteret probare dominium, quòd est difficillimum, & aliter non posset probare possessionem ejus, & potius diceretur obtinere in petitorio, quam possessorio; & sic merito remedia possessoria non dantur pro dominio, & sic jura acommoventur distincta remedia pro dominio, & possessione.

173 Item circa nostram materiam necessariò quæro, quid debeat petere, & concludere actor ut obtineat in hoc interdicto *uti possidetis*? In quo breviter dico, quòd actor debet dicere se possessorem, & reum conventum turbare eum in sua possessione, & insuper petere quòd pronuntietur possessor, & reus à molestatione desistat, & in futurum eum non molestat, & condemnatur ad interesse molestationis præteritæ: ita probat text. in *leg. 1. in princip. ff. Uti possid.* text. in §. *Est igitur, ejusdem leg. text. in leg. Si duo*, §. *fin. ff. eodem titul.* & resolutivè istam doctrinam ponit Bart. in *leg. 1. §. Interdictum*, 3. col. num. 5. *ff. Uti possid.* Angel. de Perus. in §. *Est igitur, ejusdem leg.* Rofred. in *Libellis suis*, in *titul. de Interdictis. Uti possidetis*, 3. col. versic. *Unde in hoc.* Ang. de Aretin. in §. *Quadrupli Institut. de action. antepenult. col. num. 48.* Plat. in §. *Retinendæ Inst. de interdicto* 3. col. vers. *Ad quartum*, Specul. in *titul. de Causa possessionis & prop.* §. 1. 2. column. num. 7.

Similiter etiam actor potest petere sibi satisfdari ne in futurum molestetur: ita probat text. in *leg. unic. vers. final. Cod. Uti possidetis*, & per eum ita tenet ibi Bart. in vers. *Satisfdationis, post principium.* Ang. 3. column. in *mod.* post Jacob. de Raven. idem Bart. in *dist. leg. 1. §. Interdictum. ff. Uti possidetis, fin. column.* ubi plus dicit, quòd talis satisfdatio debet esse perpetua, si jus agentis est perpetuum;

si verò competit sibi jus ad tempus, ut quia haberet usumfructum, vel possessionem ad tempus, satisfdatio deberet præstari pro illo tempore: idem tenet Angel. in §. *Est igitur ejusdem leg. 1. idem Ang. in leg. Si duo*, §. *final. eod. titul.* & facit text. in *leg. penult. ff. de Aqua quotid. & æstiva. text. in leg. 3. §. In hoc interdicto. ff. de Itin. actuque privat. text. in leg. Harum. ff. Si servit. vend. text. in leg. Egi, eodem tit. text. in l. Si usufructus legatus, vers. Cum igitur. ff. de Usufructu.* Sed certè, licet ista opinio sit communis & tenenda, tamen faciliter posset teneri contrarium, imò quòd nulla debeat præstari satisfdatio, quia lege non cavetur. Nec obstat textus, in quo se fundant DD. in *dist. leg. unic. Cod. Uti possidetis.* Quia ibi loquitur in reo convento actione reali, in qua de jure antiquo præstabatur satisfdatio de iudicato solvendo: & ita intelligit ibi Glos. in verb. *Satisfdationis*, vers. *Vel dic verius.* Nec obstat etiam text. in *leg. penult. ff. de Aqua quot. & æstiva.* Quia tantum loquitur de cautione præstanda possessori, ne inquietetur durante lite super proprietate: Nec obstat text. in *leg. 3. §. In hoc interdicto, de itiner. actuque privat.* Quia ibi tantum dicitur, quòd inquietator debet condemnari in interesse turbationis præteritæ: Nec obstat etiam text. in *leg. Harum cum similibus. ff. Si servit. vend.* Quia loquuntur in actione confessoria, in qua actor vincens potest illam cautionem petere pro futuro tempore: quia ex natura obligationis tenetur reus pati servitutem; unde cum obligatio sit successiva, cogitur satisfdare; quia aliter perfectè non adimplet.

Item adde, quòd similiter actor potest agere actione injuriarum civiliter, & criminaliter contra turbantem: text. est in *leg. Injuriarum actio*, §. *final. ff. de Injuriis*, per quem ita tenent ibi Bartol. Angel. de Perus. reputans esse notabilem, & ibi Alexand. in *Addit. ad Bartol.* probat etiam text. in *leg. Item apud Labeonem. §. Si quis bona, eodem titul.* & ibi notat Bart. & communiter DD. text. in *leg. Qui pendentem*, vers. *Cæterum. ff. de Action. empt.* & ibi Paul. de Castr. & alii DD. tenent etiam Bart. post Antiquos in *l. Hoc jure. ff. de Reg. jur.* idem Bartol. in *leg. Stat. ff. Quod metus causa*, 1. column. num. 3. Ang. Imol. & Alexand. in *leg. Cum filius. ff. de Verbor. oblig.* Gloss. ordinaria in *dist. leg. unic. Cod. Uti possidetis*, in verb. *Nec vi*, & ibi communiter DD. Gloss. etiam ordinaria in §. *Hodiè Institut. de interdictis*, & ibi communiter DD.

174 Item quæro, quid debeat principaliter actor probare in hoc interdicto? Et resolutivè dico, quòd debet probare se possidere duobus